

DE

~~179467~~

EXCISIONE ARTICULATIONIS GENUS.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA

DORPATENSIS

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Alexander Steinfeld.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUÆ J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLXIII.

Praefatio.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit expressa, numerus exemplarium lege praescriptus tradatur collegio ad libros inspiciendos constituto.

Dorpati Livon. die 21. mens. Nov. a. 1853.

Dr. Bidder,

ord. med. h. t. Decanus.

A remotissima inde antiquitate usque ad aetatem recentissimam nulla artis medicae disciplina tam laetis dignisque admiratione profectibus aucta est, quam pars chirurgica. Puer, quod rerum imperitus est, timidum payidumque se exhibet, sed, quum primum mens ejus maturuit, animo aucto, superstitio evanescit. Sapientem bellator virum existimat, qui, vulnus hians aqua abluens, arcana susurret verba; quanto pluris autem eum existimet, qui, membro putrescente ablato, doloribus ipsum multorum annorum levet? At mens scrutatrix hominis, longius etiam progressa, audacem se praebet, et, comparando meditandoque ac cultro serraque utendis, summa nobilitatur celebritate; nam, quod propositum habuit, assecuta est, homine, quamvis membris destituto, tamen vivente. Cujus viri sapientissimi nos quoque sectatores et sumus et esse profitemur. Verum tempus nos audaces reddidit, et naturae suum denegando acerrimum cimus certamen.

Qua causa adductus quum et ipse pugnatoribus hoc certamen subituris me adungere constituerim, dissertatione inaugurali, cujus conscribendae a gratioso medicorum ordine mihi facta est potestas, excisionem articulationis genus pertractandam sumsi. Cui commentationi nostrae non is maxime propositus est finis, ut diversae operationis methodi, articulationi genus adhibendae, ratione systematica exponantur, sed potius eorum conabor sententiam refellere, qui resectionem articulationis genus irritam et inutilem arbitrentur, satius ducentes hominem membris spoliare, quorum illi Dei sapientis providentia sane non nimiam dedit multitudinem. Quam ob rem dissertatio mea in eo vertetur, ut causas proponam, quibus fiat, ut haec operatio parum exoptati sit



463132

successus, morborum historiis huc pertinentibus quam possim diligentissime cognitis; utque timorem hujus operationis casibus omnino prosperis enumeratis atque indicationes quasdam, quibus ea operatio jubeatur, statuere conatus quam maxime minuam.

Quod magnopere dolendum est, admoneamus oportet, in dissertatione exaranda non uberiores morborum historias mihi in promptu fuisse.

Quae historiae quum pro commentationis fundamento sint, optimum visum est, ab his incipere easque in priore opusculi parte proferre. Altera parte causas, quibus evenisset, ut nonnullorum casuum inter morborum historias allatorum minus prosper eventus esset, exponendas censi, nonnullasque simul sententias de resectionibus articulationis genus commemorandas duxi, denique conspectu chronologico de resectionibus hisce, per tabulas digesto, in dissertationis fine adjuncto.

Restat ut praeceptori summe venerando, professori Adelmann, qui summa, qua est, benignitate libris, quibus opus erat, suppeditandis rem meam multum adjuverit; intimo animo debitas persolvam gratias. Lectorem benevolum autem, dum timida manu haec pauca traditurus sum, ut indulgentem se praebeat, oro quaesoque; nam nimis ardua est torrentis ripa altiorque, quam quae a natante ascendatur, nisi, qui manum adjuturus porrigat, invenerit.

Pars prior

Historiae morborum.

1.

Jury Moelder, Esthonus, e praedio Alt-Koikuell oriundus, annorum 27, anno 1840 mensis Augusti die 5 in nosocomii Dorpatensis partem chirurgicam receptus, satis macilentus ac corporis constitutione debiliore praeditus erat. Columnae vertebrali duplex erat curvatura, nempe kyphosis ad vertebram pectoris quartam, vertebrae lumbalibus ad partem dextram declinatis, dum sternum cum parte dimidia pectoris dextra collapsum erat. Diagnosi morbi, quo ae-

grotus commotus erat ut auxilium imploraret, ea est facta, ut gonarthroace adesse judicaretur. Tumor, a condylis femoris initio capto, usque ad condylos tibiae pertinebat, tangenti durum se praebens, singulis portionibus mollioribus, quae paene fluctuabant, a latere patellae et in fossa poplitea positis.

Crus extremitatis affectae macrum erat, aegroti vel in lenissimo contactu vehementissimos dolores percipiente. Auscultatione cum nihil compertum esset, specillum, quod in aperturam punctione probatoria ortam immissum fuerat, epiphyses ossium carie destructas ostendit. Quantum ex anamnesi est cognitum, genus affectio fere per annum duraverat, aegroti, qua primum causa effecta esset, ignorante. Tribus ante annis sibi similes tumores ad maxillae marginem atque in dorso fuisse narravit, qui, postquam multum emisissent puris, cicatrice obducerentur. Aegroti primis, postquam receptus fuit, diebus, ut dolorum vehementia leniretur, aliquot doses pulv. Doveriani porrectae sunt, instillato simul aethere sulphurico, quae medicamina tamen parum attulerunt levaminis, quo accessit, ut tempore nocturno diarrhoeae ingruerent. Itaque die Augusti 23, aegroti ope chloroformyli sopito et instrumento arteriam comprimente applicito, excisionem suscipere aggressi sunt.

Medicus cohortis praetorianae Lang, operatoris gradum adepturus, eum in modum operationem instituit, ut duae incisiones fierent, quae, supra condylos femoris initium capientes, et usque ad ipsum os penetrantes, ab utroque latere patellae et tibiae decurrebant, infra incisione formam hmae dimidiatae referente inter se conjunctae. Partes femoris affectae $1\frac{1}{2}$ " P. serra ablatae sunt. Similis ratio in tibia adhibita est, hic quoque 8" epiphyseos remotis. Capitulum fibulae integrum mansit, patella tamen ablata, parvaeque arteria articulationis genus deligata. Inde, postquam pars telae circumjectae lardo impletae remota fuit, ossibus altero alteri appropinquatis, lobus aliquot suturis adnexus est. Genu applicita vinctura simplici in capsulam quum impositum esset, fomenta frigida sunt apposita. Operatio dum durat, ad aegroti, qui potator erat, narcosin, $1\frac{1}{2}$ uncia chloroformyli adhibita. Vesperi levior horripilatio et sitis vehementissima exstiterunt. Die Augusti 25, universa aegroti valetudine satis commoda, propter suppurationem nimiam primum vinctura

soluta. Die sequenti aegrotus ob diarrhoeas crebriores, vicies fere alvo dejecta, noctem insomnis transigit, quo dolores in regione hypogastrica percepti, pressando accrescentes, accesserunt, remediis, quibus diarrhoea impugnabatur, parum auxilii afferentibus. Die Augusti 31 membrum in capsulam Boyerianam impositum simulque prima fortior extensio facta, qua in re aegrotus acerrimos conquerebatur dolores. Postea sapor amarus exstitit, pusque e vulnere emissum et malignius et tenuius foetidique odoris esse coepit. Kalendis Septembribus nihilo minus lobus granulationibus ad inferiores vulneris margines accreverat, sed diarrhoeae continuabantur pulsusque intra sexagesimam nonagies bis micabat. Die Septembris 5, vinctura applicata, flexores femoris sponte contrahi coeperunt, quo factum est, ut femur semper praeter tibiam moveretur. Die Septembris 8, dolorum vehementia aucta ac diarrhoea continuata, ossium positio omnino mutata. Usque ad diem Septembris 25 aegroti statu parum in melius mutato, tribus post diebus pes extremitatis affectae oedemate corripit coepit. Usque ad diem Octobris 19 aegrotantis conditione subinde meliore facta, dolores in coxa dextra ad sternum tendentes ingruerunt, pulsu centies octies in sexagesima micante sitique vehementissima accedente. Contractiones ne amplius fierent, via subcutanea tendo mm. bicipitis et semitendinosi dissectus. Vulneris incisione facti granulationes laxae erant, quo nausea doloresque in colo descendenti percepti addebantur. Die Octobris 25 aegrotus acerrimos capitis dolores genusque dolores lancinantes usque ad caput porrectos querebatur. In vinctura apponenda ossium fines amplius pollicem distare apparuit. Die 27. acerrimi cervicium regionisque epigastricae dolores exorti sunt. Die postero tempore nocturno, quum aegrotus vincturam solvisset, sanguinis venosi profluvium exstitit. Die 31 aegrotus ob dolorum vehementiam dormire non potuit adeoque ad quaestiones propositas respondere nequirit, qui status et Kalendis Novembribus perdurabat, quo die, quum tempore matutino perpetuus extremitatum superiorum tremor, vellicatio vestis stragulae, frendorque dentium accessissent, respiratione gravi et oppressa, aegrotus paulo post noctem mediam mortem occubuit. Cadaveris sectione facta pulmonum textura tubercula miliaria passim dispersa praebuit, oedematosa erat,

multumque continebat sanguinis, lobis inferioribus speciem hyperaemicam prae se ferentibus. Tubus intestinalis varias commutationes et ulcera, qualia post phthisin observari solent, obtulit. In latere sinistro abscessus m. psoae, inde a musculo medio usque ad trochanterem minorem pertinens, observatus, qui abscessus tamen nullo loco cum peritoneo conjunctus videbatur. Ossibus genus denudatis, ne minimum quidem conjunctionis inter femur tibiamque initae vestigium deprehensum est. In utraque ossium facie serrando effecta exsudatum erat perexiguum cartilagineum, tantum in medio observatum. Vasa fossae popliteae a norma non discebant.

2.

Petrus Saar, Esthonus, e praedio Kawwast ortus, annos 16 natus, valida corporis constitutione, sed specie leucophlegmatica praeditus, anno 1853 mensis Februarii die 11 in chirurgicam nosocomii Dorpatensis partem acceptus est. Aegrotus tumore sat magno genus sinistri laborabat, quem quidem anni proximi superioris mense Augusto lapsu exortum esse narrabat. Punctione probatoria facta magna synoviae cum pure copia provenit. Perquisitio accuratior cariem condylorum fem. adesse monstravit, quo adde, quod de febris hectica dubitari nequirit, quae aegrotantis vitae periculum minitabatur. Articulatione genus eadem, qua in casu priore, ratione die Martii 10. excisa, in incisione per longitudinem externa facienda multum puris liquidi e capsula articulationis evacuatam est, cum fluido synoviali commixti. Integumenta externa lardo referta, totaque capsula synoviali incrassata, excrescentia villosa exsudataque granulosa inventa sunt, exigua tantum condyli interioris parte carie affecta. Qua de causa de femore non amplius $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ P. ablatum. Tibiae non nisi cartilago articularis resecta; qua in re, pariete capsulae synovialis postico disrupto, inter mm. gastrocnemium et soleum ductum fistularem exortum esse viderunt. Aegrotus, operatione perfunctus, extemplo vehementes dolores in genu perceptos querebatur. Extremitas ferulae collicis simili imposita pulvinis palea impletis sustentabatur, ut immota maneret, nec non vinctura quotidie redintegrabatur. Aliquot diebus circumactis, quum suturae dissolutae essent, lobi tamen non rite coa-

luerant. Puris secretio profusa, floccosa coloreque albo tincta, qua de re infusum chamomillae cum spiritu myrrhae injectum et quotidie vinctura Scultetiana inde a digitis pedis usque ad femur medium applicabatur. Qua in re status aegroti in dies deterior exstitit, scroto oedematose intenso, pulsu semper perquam frequenti 120—140 in sexagesima micante, quibus symptomatis calor ruborque genarum circumscriptus ac denique rarae horripilationes non admodum conspicuae comites se adjunxerunt, quo facto aegrotus 10 post operationem die i. e. vicesimo mensis Martii, nullis insignioribus symptomatis mortem comitantibus, ex vita discessit. Cadaveris sectione facta, multum aquae in cavo pectoris accumulatum, pulmonumque parenchyma tuberculorum experts, sanguis liquidus limpidusque, et tractus intestinorum multo aëre repletus inventa sunt. Splen, hepar, renesque, praeterquam quod colore pallido erant imbuta, ceteroqui normalia reperta. Glandulae inguinales admodum intumuerant, quae nullum calli vestigium obtulit, lobis nondum concretis. E ductu quodam fistulari, qui in parte extremitatis interna ad m. gastrocnemium descendebat, magna puris copia evacuata. Neque in a. crurali neque in profunda nec in v. sapaena quidquam inventum est puris, nullis etiam sanguinis coagululis observatis, ut aegrotus sola sanguinis indole aquosa extinctus esse videretur. Pars condylorum fem. resecta in condylo interiore locum ostendit cariosum, ejusdem, qua faba est, magnitudinis, 2—3" profundum.

3.

Christina Kern¹⁾, ancilla, annos 23 nata, propter tumorem genus cum ankylosi anno 1844 mensis Octobris die 17 in nosocomium Julium, quod Herbipoli est, recepta fuit. Quum omnia medicamina ad pus resorbendum in usum vocata nihil prodessent, anni sequentis m. Maji die 20 resectio est suscepta. In qua ab altero condylo ad alterum incisione facta ligam. patellae dissectum, et conjunctione inter femur et patellam tibiamque dirempta, articulatio fuit aperta. Patella extirpata, circiter 1½" fem. tibiaeque resecuerunt, qua in re duas arterias deligari opus erat. Genu

1) B. Kraft, über die Resectionen der Knochen; Würzburg, 1843, pag. 38.

summis cum doloribus, flexoribusque admodum renitentibus, protensum est, marginesque vulneris emplastri adhaesivi taeniis verticalibus inter se conjuncti, solo inferiore vulneris angulo, ut secretum proflueret, patente. Proximis post operationem diebus, dolores acerrimi febrisque vehemens ingruerunt, dieque 22 quum jam suppuratio exstitisset, vincturam renovari necesse erat. Extensio extremitatis, quamvis in regione genus vehementissimi perciperentur dolores, tamen ab aegrotata perlata est. Die mensis Junii 6, ferularum usu omisso, ut pus proflueret, extremitas latus versus inclinata. Quam positionem quum aegrotata tolerare nequiret, puris profluvio jam minuto, die 11 m. Junii extremitas iterum protensa. Vulnus granulationes benignas obtulit, sed propter decubitum ad calcem apparatus, extendendo inserviens, remotus. Die Junii 24. decubitus consanuerat. Septem diebus post vulnus, quum consanari coepisset, lapide infernali contrectatur, dieque Augusti 15. aegrotata optima usa valetudine primum meare conatur. Genu ferulis e charta duplicata paratis undique cinctum totum involvitur, quo modo aegrotans fulcro innixa incedere poterat. Die Decembris 2. anni 1843 aegrotata vinctura modo descripta, nullis doloribus perceptis, stare potuit. Undecim diebus elapsis aegrotatae caliga funiculis constringenda, calce 3" alta instructa, inducta fuit, et machina quadam, quam professor Heine excogitaverat, applicata ei per urbem meare licebat, apparatu tamen cutem atterendo sauciente. Die Augusti 9. ossa jam firmiter coaluerant atque crus omnino erat rectum. Extremitatem quidem attollere potest aegrotata, sed, nisi fulcro adjuvante, incedere nequit, ceterum optima valetudine utens.

4.

M. Spinner¹⁾, ancilla, annorum 26, quum anno 1832 Februarii mensis die 21. in nosocomium Julium fuit recepta, tumore albo genus dextri laborabat, qui, licet plures jam annos exstaret, tunc tamen gravissimos dolores eiere coepit. Cutis genus, quamvis calore adaucto, ceterum normalis erat, atque in tangendo magnos aegrotata sentiebat dolores.

2) A. Kreitmair, über Resectionen im Julius-Hospital zu Würzburg, Würzburg, 1839. pag. 19.

Medicaminibus, quae in usum vocabantur, nihil valentibus, mense Majo ineunte locus quidam fluctuans infra patellam situs in conspectum se dedit, nec non in ipsa articulatione genus sonus fluidi alicujus index et crepitatio clare audiebantur. Die Maji 19, facta incisione, multum puris evacuatum. Doloribus articulationis adauctis febris atque insomnia comites se addiderunt, quo facto undecim post diebus resectio genus fuit suscepta. In qua genu ope incisionis semilunatae in exarticulatione genus usitatae aperto, epiphyseos femoris $\frac{1}{2}$ "— $\frac{3}{4}$ " et tibiae 1" partemque exiguam capituli fibulae serra solita abstulerunt vulnusque sutura cruenta clausere. Loco, quo fistula duos pollices sursum pertinens deorsum fuerat dilatata, penicillum immisum est. Arterias deligari non erat opus. Finita operatione vinctura Scultetiana est applicita, quo facto exigua tantum secuta est reactio. Die m. Junii 3, vinctura primum renovata, vulnus parte anteriore consanuisse videbatur, fistula patente, qua de causa suturae remotae sunt. Suppuratio vehemens sanguinisque profluvium modicum exstiterunt. Crus oedematose intumuit, abscessusque in femore indeque alter abscessus in crure exorti sunt. Quamquam vulnere granulacionibus impleto, tamen tibia carie affecta nuda exstabat, quo accessit, quod symptomata gastrica intercurrerant. Extremitas affecta apparatusi suspensorio Brauniano imposita, quum ea re nimii excitarentur dolores, rursus apparatusi ad cruris fracturam continendam usitato reddita est, postea ferula Boyeriana in fracturis patellae solito adhibita in usum conversa. Brevi affectio pulmonum ac tussis cum sputis accesserunt, et auscultando cognitum est, excavationem in lobo pulmonis sinistri superiore adesse. Denique, febris magis magisque hectica facta, postquam colliquatio exstitit, mensis Septembris die 24 aegrota mortem obiit.

5.

Henricus Knauer³⁾, annos 48 natus, homo habitu cachectico multisque affectionibus, veluti struma, herniaque et malo pectoris laborans, anno 1837 mensis Maji die 31, abscessu fem. sin. et carie tibiae affectus, in nosocomium Ju-

3) Ibidem. pag. 31.

lium fuit receptus. Die Junii 9 incisione duorum pollicum a condylo femoris externo sursum secundum m. vasti externi decursum facta, multum puris in profundo haerentis exinanitum. Die 14 apertura contraria ad partem patellae inferiorem externamque erat instituenda. Exploratio die 8 m. Julii facta condylum extern. tibiae nudatum ostendit. Die Augusti 4 operatione suscepta, postquam cutis atque ligam. patellae aperta sunt, condylum extern. tibiae cariosum esse apparuit, condylis femoris integris. Qua de causa superior tibiae pars unius pollicis parsque capituli fibulae ablatae, tantum parva arteria in angulo vulneris interiore deligata. Horae dodrante post operationem sanguinis profluvium est subsecutum, qua de re parvulam arteriam deligari erat necessarium. Tibiae facies incidendo facta, unde sanguis profluebat, spongiis obiecta est, pesque aegrotantis ferulae affixus. Aegrotus, oppressione pectoris febrique affectus, praeterea suppuratione profusa odorisque foetidi laborabat, quo facto, quum pectoris oppressione magis magisque ange-retur, virium collapsus exstitit. Die octavo Augusti tempore matutino vehemens accessit horripilatio, fere dodrantem horae continuata, quam ardor sitisque acerrima ac pulsus parvus, frequens, et filiformis, nec non diarrhoea exceperunt, urina colore intenso imbuta et lingua humida. Anorexia jam inde ab operatione facta aderat. Poroxysmis febrilibus saepius recidentibus, aegrotus delirare coepit, et die Augusti undecimo est mortuus. Facta sectione, pulmones integri, aqua in pectore et pericardio accumulata, lien colore intense rubro tinctus mollisque ac plures intestinorum laquei per canalem inguinalem prolapsi, qui usque in scrotum descendebant, vulnusque sanie foetida impletum omniaque totius extremitatis vasa, et femoris quidem magis quam cruris, inflammatione correpta cernebantur.

6.

Veronica Sachs⁴⁾, filia rustici annorum 32, habitu leucophlegmatico, quod gonarthrocace laborabat, anno 1839 die Julii m. 31. in nosocomium Julium fuit allata. Die Au-

4) Fr. Schierlinger, Beitrag zur Casuistik der Resectionen. Würzburg, 1841. pag. 31.

gusti 22. resectione articulationis suscepta, primum cultello amputatorio recto, in exarticulationibus genus usitato, inde a condylis lateris unius usque ad condylos alterius incisio est facta, indeque ligam. patellae et capsulae ac ligamenta lateralia cum cruciatis incisa eoque modo tota aperta fuit articulatio. Epiphyses femoris tibiaeque (quousque ablatae sint, non traditum) nec non capitulum fib. atque patella amota sunt. Vulnere suturis cruentis quatuor ocluso, pes apparatus extendendo inservienti impositus, statusque aegrotae incitator ac dolorum vehementia, aliquot morphii acet. et emulsionis nitroso-opiatae dosibus porrectis, lenita sunt. Die 20 sub vesperum vomitus cum acerrimis in regione hypogastrica praesertimque in scrobiculo cordis doloribus conjunctus ingruit, qua in re pulsus frequentissimus parvusque et contractus apparebat. Qui status quum ad Kalendas Septembres usque perdurasset, jam diarrhoeae creberrimae exstiterunt, et in crure abscessus, multum emittens puris, exortus erat. Qua de re pede latus versus posito compressaque vincto, die Septembris secundo iterum plurimum puris emanavit, quod fibulam sequens saccum formabat permagnum. Suppuratione nimis copiosa facta, quum vires aegrotae omnino collapsae essent, ut vita servaretur, die sequenti amputatio femoris in triente inferiore fuit instituta. Qua tamen cum puris secretio non esset minuta, die Septembris 24, i. e. die 21. postquam amputatio facta fuit, aegrota mortem obiit.

7.

C. Gehrig 5), famulus lanii, annos 30 natus, anno 1840 die Septembris 26. in nosocomium chirurgicum fuit receptus. Cui 10 diebus ante culter acutus, quum supra patellam in articulationem genus penetrasset, ibi vulnus transversum circiter 3" effecerat. Quo vulnere neglecto, quia solita continuaverat negotia, articulatio adeo intumuerat, ut incedere amplius nequiret. Quamvis methodo anti-phlogistica in usum vocata, tamen horripilationes doloresque vehementissimi ingrueant, in dextra pectoris convulsionibus agitati parte percepti. Omnibus, quae adhibita erant, remediis nihil valentibus, genu magis magisque in-

5) Ibidem, pag. 33.

tumuit et fluctuari coepit. Incisione ad pus evacuandum instituta, et cataplasmatibus applicitis, die Octobris 20, quum in parte interiore infra articulationem pus accumulatum esset, iterum incisionem fieri erat necessarium. Diebus 6 circumactis, quoniam status in melius mutatus non erat, resectio fuit suscepta, qua, incisione infra patellam facta, quum tibia cariosa cerneretur, ejus pars 2" lata, 3" alta, triangula, ope osteotomi cum in modum remota est, ut trianguli excisi apex partem posticam, basis anteriorem spectaret. Sanguinis profluvium non ita magno, vulneris margines non conjuncti, sed parva compressa et lintea carpta immissa pannoque obtecta sunt. Deinde, quia extremitas extensa multum aegroto doloris movebat, membrum paululum inflexum pulvinoque palea impleto impositum, huic ope fasciae glomeratae affixum est. Operatione finita, quum febris sat magna vehementia exstisset, suppuratione, qua aegrotus admodum debilitatus est, accedente decubituque regionis sacralis orto, novem diebus post sanguinis profluvium est insecutum. Die Novembris 4 pus infra fossam popliteam accumulatum cernebatur, quod incisione est evacuatum. Itaque quum die Novembris nono ad femur pus esset accumulatum, quod et ipsum exinanitum est, femur amputari optimum est visum. Qua operatione die sequenti incisione lobulari facta, aegroti vita servata est. Membrum resectum, quum esset pervestigatum, granulationes quidem loco, quo resectio facta erat, verum etiam cariem in facie glenoidali tibiae ostendit.

8.

E. K. 6), annos 21 nata, affectione rheumatica praegressa, jam plures per annos ankylosi genus dextri laborabat, crure angulo recto inflexo. Textor, facta resectione, amplius 4" substantiae osseae abstulit. Membrum extensum ope apparatus accommodati rectum tenebatur. Brevi post operationem tempore symptomata tum localia tum universa tanta ingrueant vehementia, ut omnis spes fore, ut aegrota servaretur, jam abjecta esset. Quae symptomata dum durabant, extremitas tali manebat positione, quam aegrota optabat, quo factum est ut ossium extremitates inter se diverterent.

6) Gazette médicale de Paris 1846. pag. 859.

Symptomatis accessoriis cessantibus, sanatio, quamvis tardius, tamen non turbata successit, ut, mensibus quatuor exactis, vulnus incisione factum cicatrice esset obductum. Attamen, ossium consolidatione nondum coepta, aegrota menses quinque insequentes lecto affixa manebat, quo tempore complures apparatus mechanici, at ii tamen sine ullo successu, in usum sunt vocati. Sub idem tempus (mense Octobri a. 1843) Dr. Broenner, munere chirurgi mulierum fungens, approbante praefecto, apparatus⁷⁾ extensioni et contraextensioni aptum instrui jussit, eo valentem, ut, ossa ne amplius discederent, caveretur. Qua machina vixdum applicata, aegrota, nullo adjuvante, incedere poterat, paucisque elapsis hebdomadibus tanta jam utebatur eundi dexteritate, ut et omnia obire posset negotia domestica et onera sat gravia ferre valeret. Quam machinam, quippe qua carere non posset, quum usque ad mensem Decembrem anni 1845 gestaret, in omnibus tamen conatibus, apparatus auxilio deficiente eundi, ossa sibi discedere videri indeque gravissimos in partibus mollibus oriri dolores querebatur, quibus, ne toto corporis pondere membro niteretur, impedita est.

9.

Miles voluntarius B.⁸⁾, die Decembris 31. anno 1850 globulo sclopeti genu sinistro fuerat ictus, qui globulus, a parte femoris externa quum penetrasset, foramen effecerat rotundum. Articulatio, quum aegrotus in nosocomium allatus est, jam admodum tumida multum movebat doloris. Inde, membro omnium primum commode posito, fomentationes frigidae factae dosisque morphii porrecta. Die sequenti mane aegrotus, vehementer febricitans, acerrimos conquerebatur dolores. Ceterum, quum observatum esset, amputationes femoris, nychthemero amplius post vulnus illatum factas, parum prosperi esse eventus, partibus mollibus jam infiltratis, hoc in casu amputationem omitti placuit. Vesperi affectione adaucta febrique ac delirii exortis, die Januarii 3. Stromeyer medicus primarius, ut, qualis esset laesio, certius cognosceretur, vulnus incisione longitudinali dilatari

praecepit. Itaque, aegroto chloroformylo sopito, Dr. Fahlé operationem ita confecit, ut, incisione 4" longa ad partem articulationis externam facta, quum magna puris copia inde scaturiret, extemplo incisio transversa, 5" longa, a loco vulneris per mediam patellam fieret, qua soluta, articulatio, postquam ligamenta dissecta sunt, erat aperta. Jam apparebat, globulum sclopeti non nisi tenuem particulam ossis ab inferiore condyli externi femoris facie disjunctis, quae particula simul cum globulo laxius articulationi inhaerebat. Quo facto ope serrae amputatoriae epiphyseos femoris pars 1½" aequans remota est, indeque utraque cartilago semilunata a tibia dissoluta. Postea iterum videbatur opus, ut femoris particula cuneiformis, cujus basis crassior partem posteriorem spectabat, serra praecideretur. Femoris facies serratura effecta sanguine extravasato erat infiltrata. Extremitate extensa, vulnus incisione transversa factum sutura cruenta oclusum est, altero vulnere longitudinali aperto manente. Haemorrhagia non ita magna erat. Extremitate paululum inflexa ferulaeque lignae pulvinaribus bene substratae imposita, glacies vulnere est applicata; qua re quum dolores brevi cessavissent, aegrotus nocte insecuta placida usus est quiete. Die Januarii 8., febris finita, lingua omnino pura vulnusque incisione transversa factum per primam intentionem consanatum cernebatur, suturis tamen, ut quae nihil viderentur irritationis efficere, relictis. Die postero, quum pus densum flavumque e vulnere secerneretur, glaciei usus fuit omissus. Die Januarii 10., suturis remotis, ad finem incisionis transversae externum vulneris margines rursus paululum discedentes liberum articulationis apertae aspectum praebebant. Jam apparebat, in femoris facie serrando effecta benignas granulationes exstitisse, cartilagine tibiae glenoidali, quantum videbatur, nondum mutata. Qua tamen sex diebus post discolora facta, die postero ejus particula ope volsellae poterat amoveri. Ab eo inde tempore saepius musculorum surae contractiones spasmodicae apparebant, quae quum aegrotum impellerent, ut crus magis inflecteret, factum est, ut margines vulneris, nec non facies ossium magis inter se discederent. Spasmodorum vehementia in dies aucta, extremitas fuit extensa, id quod aegroto multum attulit levaminis. Attamen jam die insequenti, contractionibus repetitis, pulsus febrilis evasit, vulnusque strato exsudati griseo-albi lardosi-

7) Machina descripta est in Gazette médicale de Paris 1846. pag. 860.

8) Fr. Esmarch, über Resectionen nach Schusswunden. Kiel, 1851. pag. 132.

que est obiectum. Quo accessit, quod diarrhoeae profusae ingruerunt pusque accumulatum est, aegroti faciei colore icterico febrigue vehementissima ac siti acerrima accedentibus. Denique, symptomatis soporosis exortis, die Februarii 3 aegrotus est exstinctus. Cadaveris sectio griseam totius pulmonis dextri majoribus minoribusque puris copiis insidentibus hepatisationem, et in pulmonum apicibus multa tubercula deposita, nec non in splene, hepate, renibusque plures abscessus pyaemicos ostendit. Vena poplitea coagulo discolore obstipata, et cartilago tibiae glenoidalis ex parte detrusa, lactaeque femoris granulationes collapsae ac discolores factae cernebantur.

Ceterum Fr. Esmarch se dolere ait, quod, bello finito, nulla amplius similium experimentorum occasio esset oblata, sibi que affirmat persuasum esse, si pro resectione genus die Januarii 3 femoris amputatio esset instituta, aut aegrotus naturae medicatrici commissus foret, jam dierum octo spatio mortem secuturam fuisse. Idem contendit eventum parum prosperum partim aegroti constitutioni tuberculosae, partim aëri nosocomii corrupto esse attribuendum, compluribus etiam aliis, qui vulneribus laborarent levioribus, brevi tempore pyaemia exstinctis.

10.

G. M. Jones, talem casum in medium protulit⁹⁾. Femina quaedam anno aetatis nono vehementibus choreae paroxysmis simulque doloribus genus sinistri se laborasse narravit, quae symptomata, quamvis auxilio allato, magnum tamen genus tumorem reliquissent. Quae, anno aetatis 17 in matrimonium ducta, ter partu perfuncta est. Semel, externis remediis adhibitis, quum ea cura quinque continuata esset menses, valetudinem suam admodum in melius esse mutatam aiebat. Quum tamen nimis corporis contentionibus malum in deterius vertisset, eo tempore, quo auxilium clarissimi Jones imploratum est, genu, praesertim a parte interiore, valde intumuerat pressatumque magnos ciebat dolores. Tumor elasticus erat ac splendens, venis, in superficie po-

sitis, perquam dilatatis. Somnus dolorum vehementia persaepe turbatus, ciborumque appetentia nulla erat. Pulsus centies vel centies quinquies in sexagesima micabat, summaque mulier confecta erat macie. Qua rerum conditione, quum aegrota amputationem fieri nollet, non restitit nisi resectio. Jones, aegrota chloroformylo sopita, methodum illustrissimi Moreau secutus, operationem instituit. Quae patellam et cartilagem femoris tibiaeque ulceratione destructas partemque facierum ossium haud exiguam carie affectam ostendit, pure tum intra articulationem, tum extra reperto. Pars femoris affecta, nec non magna pars capituli tibiae ope serrae usitatae ablatae sunt. Fibula integra cernebatur. Pars ossium praecisa longitudine erat 4", sanguinisque profluvio haud ita magno exorto, vulneris margines suturis et taeniis emplastri adhaesivi sunt juncti. Ossibus inter se propinquatis frigidisque aquae fomentationibus institutis, membrum eodem, quo in fracturis solet, modo positum. Cura accommodata, praesertim roborante, adhibita intra unius mensis spatium tumor regionis genus, qui post operationem exstiterat, valde erat minutus, vix ullo oedematis cruris vestigio deprehenso. Secretio, quamvis satis esset magna, tamen haud malignae erat indolis. Praeterea nulli amplius pressando oriebantur dolores, ciborumque desiderium erat adauctum. Tertio post factam operationem mense membrum apparatu, cui impositum fuerat, exemptum ferulis e gutta percha paratis formaeque genus respondentibus sustinebatur. Vulnura, excepto superioris partis incisionis internae exiguo spatio, omnia consanuerant, perfecta tamen consolidatione ossea nondum observata. Aderat adhuc haud ita magna flexio et extensio, ita tamen, ut aegrota ferula adjuvante totam extremitatem attollere sublatamque aliquamdiu tenere valeret. Mense post operationem quarto aegrota fulcro innixa caligaeque altiuscula calce praedita satis bene incedere poterat, brevique interjecto tempore sine ullo auxilio per cubiculum ambulabat. Vulnus parvulum, quamquam bonae indolis, tamen non consanuerat. Inde aegrota, non obtemperans medici adhortationibus, brevi nosocomio excessit, quo tamen, statu in deterius mutato, duobus post mensibus rursus recepta fuit, compluribus uleeribus parvis, quae cum sinu communicabant, formatis, ac secretionem admodum aucta. Perpetua tranquillitate et diaeta nutriente

9) Medical Times and Gazette; brevius relatum: in Schmidt's Jahrbücher der Medicin 1853. No. 7 pag. 71.

iterum, ut genu omnino sanaretur, successit, ut aegrota, machina bacilloque adjuta, incedere posset. Jam sperari licet, fore ut brevi tempore omissis his adjumentis meare queat, quo adde, quod aliquanto facta est robustior, quam unquam fuit.

11.

G. Harrison¹⁰⁾, annos 42 natus, quum jam quinque per annos tumore albo articulationis genus laborasset, anno 1852 die Septembris 28 curae cli. Mackenzie fuit mandatus. Symptomata ulcerationem cartilaginum articulationis adesse indicabant, partibus mollibus circumjectis valde incrassatis atque tumidis. Aegrotus, praesertim tempore nocturno, si vel paululum moveri conaretur, gravissimis cruciatur doloribus. Mackenzie extremitatem paulum inflexam paene extendit ferulisque e corio factis immobilem reddidit, compluries etiam ferro candenti in usum converso. Quae cura quamquam haud parum attulit levaminis, tamen locus quidam, in parte tibiae interna situs, dolores ciere non desiit. Anni 1853 mense Junio medio, etsi nullis apparentibus causis, aegroli conditio deterior facta. Partes enim molles intumuerunt, atque crus oedemate correptum est, doloribus adeo adauctis, ut, somno impedito, nec cauterisatione saepius repetita, nec morphii usu possent sedari. Aegrotus in dies debilior factus est, signis febris hecticae apparentibus, qua de causa excisio articulationis genus ultimum videbatur refugium. Quam Mackenzie die 5 Februarii ita instituit, ut, incisione transversa primum proxime infra patellam per totum genus dimidium anterius facta, quae in articulationem penetrabat, in ejus finibus utrimque incisio longitudinalis circiter 2" longa fieret, incisionibus sic formam *H* litterae referentibus. Ligamentis articulationis dissectis atque hac denudata, Mackenzie, auctore Moreau, primum patellam exstirpavit, qua in re duae arteriae ad latera articulationis positae deligarentur necesse erat. Crure inflexo partibusque mollibus a postica femoris facie disjunctis, condyli femoris indeque facies articulationis tibiae serra ablata sunt. Epiphysi tibiae resecta, in substantia ejus ossea

spongiosa duo apparuerunt abscessus parvuli uvam magnitudine aequantes, quorum paries inferior diligenter ope rasorii derasus est. Finita excisione vulnereque ossis purgato, crus extensum finesque ossium resectorum alter alteri appositi sunt, quo facto denique vulnereque suturis cruentis conjuncti ferulaeque, e corio factae, applicatae sunt, atque extremitati positio commoda data fuit. Substantiae ossium plus quam 2" ablatum, femoris 1½", tibiae fere ¾" resectis. Facies articulationum ablatarum ubique cartilagine carebant, substantia ossea partim pure infiltrata, partim cariota et osteoporotica reperta. Prima post operationem septimana aegrotus, somno usus placidissimo, bene valebat, pulsibus intra sexagesimam nunquam numerum 80 excedentibus, nec non doloribus omnino finitis. Die nono aegrotus vehementi correptus singultu, perpetuo eum vexante, demum aliquot diebus elapsis, pressu locali ponderis 7 librarum usuque interno tincturae canabis indicae isto malo liberatus est. Die Februarii 23 diarrhoea ingrui copiosa, torminibus stipata, quam denique tribus septimanis tollere contigit. Postremo pleuropneumonia dextra accessit. Ab hebdomade septima convalescentia, nullo turbata malo, initium cepit. Mirationem movit, quod vulnus, dum hepar pulmoque inflammatione erant affecta, semper bonam servabat indolem. Itaque, quamquam prima intentio, id quod haud mirandum est, non successit, tamen vulnus, benignis obiectum granulationibus, pus secrenebat optimum. Femoris finis quum magnam ostenderet proclivitatem ad partem anteriorem externamque declinandi, vinctura, ne id fieret, non prorsus impediti potuit. Mensibus 3½ exactis, universa aegroli valetudo optima erat et extremitas ferulis e corio confectis cincta parum exstabat. Genu cicatricibus densis obducto, cruris oedema evanuerat et consolidatio ossium resectorum, quamvis non esset perfecta, tamen intra dies 14 futura esse videbatur. Aegrotus, eam ob causam lecto descendere vetitus, extremitatem libere movere, nec ullis perceptis doloribus ea inniti poterat. Mackenzie se confidere ait, fore ut membrum hebdomadam 5—6 decursu ea utatur habilitate, quae modo in votis esse possit.

12.

Piscator annorum 28, decimum jam mensem inflamma-

10) Extisio des Kniegelenks v. R. J. Mackenzie (Montly Journ. Juni 1853) in Schmidt's Jahrbücher, d. Medicin, No. 9. 1853. pag. 328.

tione articulationis genus dextri affectus, anno 1853 die Februarii 14 clo. Mackenzie curandus est traditus. Genu, quod modice intumuerat, in tangendo sensibile parumque mobile se exhibebat, aegroti dolores querente, statuque ejus fere eodem, atque priore in casu descripsimus, nisi quod minus videbatur expressus. Vesicatoriis, quiete necessaria, membroque ferulis e corio paratis affigendo dolores leniti sunt, qui tamen, mensis spatio interjecto, repente in-gravescent, tumore quoque celeriter incremente. Jam motus minimis atque contactus levissimus vix tolerabiles excitabant dolores, praecipue externam tibiae partem obtinentes. Ne ferro candenti quidem dolores levante, aegrotus praeterea varioloidibus fuit correptus, quibus quum esset perfunctus, viribus omnino exhaustis macilentus conspicua ulcerationis articuli signa offerebat. Mackenzie excisionem articulationis genus necessariam ratus die 5 Maji suscepit. Incisionem *H* litterae formam referentem incommodis non vacare quum sibi persuasisset, hoc casu articulationem incisione arcuata a condylo interno ad externum facta, cujus convexitas deorsum et infra apicem patellae decurreret, denudandam existimavit. Ligamento patellae dissecto, loboque soluto ac reclinato, articulatio aperta et ligamenta lateralia dissecta sunt. Qua in re pure in articulatione reperto, cartilaginee glenoidales magna ex parte corrosae, fines articulationis cariosi partesque molles concretae atque incrassatae et lardo infiltratae cernebantur. — Pariter atque in casu priore femoris $4\frac{1}{2}$ " tibiae $\frac{3}{4}$ " resectis, sanguinis profusio exigua exstitit, nec nisi unam arteriam opus fuit deligari. Patella, in lobo superiore relicta cum eoque reclinata, cartilagine faciei inferioris erosa, paululum discolor apparebat atque rasorio abrasa est. Fines ossium resectorum alter alteri appositi, lobisque suturis cruentis affixis, membrum extensum hac positione tenebatur. Excisionem nulla except reactio, vulneris parte dimidia per primam intentionem sanata, dum in altera, suppuratione benigna exorta, brevi granulationes pullulabant. Ossa, quo posita erant situ, manentia nullam dislocationis proclivitatem ostendebant, patella brevi accrescente. Diebus 15 circumactis, vulnere paene

consanato, aegrotus robustior factus cibos potusque cum appetitu sumebat, placido utebatur somno, omninoque tali erat conditione, ut brevi perfectam secuturam esse sanationem sperari posset.

43.

Guilielmus Livermoore¹²⁾, annorum 12 puer, ob genus dextri affectionem, quae annum jam durabat, anno 1852 die Octobris 12. in nosocomium acceptus in universum valetudine erat non magnopere turbata. Status extremitatis morbosus inflammatione articulationis genus telarumque proximarum continebatur. Ut paucis dicamus, exploratio diligentior adduxit, ut ulceratio substantiae cartilagineae jam haud exigua esse crederetur. Articulatio, quasi fluido esset repleta, in omnes regiones extendi coepit. Aegroti in lecto se continere jussu, quum articulationi identidem hirudines essent applicatae, postea cucurbitae, unguentum e tartaro emetico, cantharides et infriktiones jodi adhibita sunt, singulis horum medicaminum externorum remediis internis usu probatis respondentibus. Quae omnia tamen quum nihil prodessent, operatione die Aprilis 17. suscepta, ab utraque articulationis genus parte inter mm. vastos et flexores cruris incisio 5" longa est facta. Cujus pars major i. e. paulo plus quam dimidia per femur, minor per tibiā tendebat. Quae duae incisiones, ad os usque descendentes, incisione transversa, supra ipsam prominentiam tuberculi tibiae facta, qua cautum est ne ligamentum patellae laederetur, inter se sunt junctae. Lobis, qui sic effecti erant, sursum reflexis, patella cum suis ligamentis genusque articulatio apertae. Capsula synoviali, quantum ejus in conspectum venerat, dissecta, patella cum ligamentis super condylum internum protracta est, articulatione patente. Quae primum fortiter flexa est, ligamentis cruciatis, quum paulatim dirupta essent, ut perfecte dissecarentur, non nisi incisionem levem exostulantibus. Qua re faciebatur glenoidalibus utriusque ossis ad spectui patentibus, fere 2" femoris, $\frac{1}{2}$ " tibiae serra auferri placuit, adjutoribus partes molles latus versus tenentibus. Condylum externum femoris quum magno ulcere excavatum esse appareret,

11) Loco citato.

12) Case of excision of the knee-joint, by George M. Jones, Surgeon to Jersey-Hospital; in Medical Times and Gazette; July 1853 No. 157. pag. 11.

opus erat, ut praeterea pars ossis putridi serra praecideretur, partibus residuis, donec ad substantiam osseam integram perveniretur, exsculptis. Membrana synovialis tota, quum suppuratione esset degenerata, diligenter excisa est. Haemorrhagia, quae ab initio vehemens fuerat, paulatim cessante, nullam arteriam necessarium est visum deligari. Sanguine vulneris abluto, patella, postquam portiones affectae fuerunt exsculptae, cum ligamenti suis, quam fieri potuit maxime, in positionem normalem fuit redacta. Ossium finibus conjunctis, lobi, deorsum flexi, suturis connexi sunt, membrumque vincturae impositum, simplici pegmate subjecto, cistae immisum est. Vulnere linteis humefactis oblecto, quum operatio sexagesimas 20 durasset, puer e sopore, chloroformylo effecto, nondum suscitatus lectulo est illatus. Per aliquod tempus remedia opiata singulis noctibus porrecta sunt; quumque appetentia ciborum, jam ante exigua, prorsus deficeret, curae celerioris consilium majore vi exsequi licebat. Septimo post operationem die eschara (slough?) in lobi parte inferiore ac lateribus fuit animadversa, quae quamquam paucis diebus crescebat, tamen ligamentum patellae non est patefactum. Jam granulationes apparuerunt benignae, suppuratione, quae initio ingens fuerat, haud parum minuta. Qua fere omnino remittente, vulnera consanuerunt, et, septem vixdum post operationem hebdomadibus elapsis, gratissimum erat sanationem celerem observare. Puerulus ne minimos quidem in ulla extremitatis parte percipiens dolores facile ac celeriter situm mutare ac sine cujusquam auxilio dorso incumbens membrum attollere poterat. Genu etiamsi leviter introrsum flecteretur, tamen Jones experientia edoctus sibi persuasit, simplicem tractationem mechanicam id incommodi omnino esse sublaturam. Patella femori tibiaeque adhaesit, ligamentumque inviolatum mansit. Tegumenta articulationis ipso morbo, fortasse et remediis adhibitis, nec non longitudine loborum adeo erant corrupta, ut, iudice Jones, satis esset causae, cur eschara formaretur. Sunt, quibus, patellam ejusque ligamentum si quis integra reliquerit, operationem et longinquirem et difficiliorrem redditurus videatur; at eorum opinionem Jones censet nihili esse, si quidem id agatur, ut operatio votis respondeat. Certe hoc constare ait, aegrotum minus, quam septem post

operationem hebdomadibus, nullo adjuvante, extremitatem attollere potuisse.

Adnotatio. Ad membranae synovialis exfoliationem quod attinet, cujus in altera dissertationis parte locus erit, ubi mentionem inferamus, Jones quoque se experientia cognovisse dicit, in articulationibus excidendis eam totam esse auferendam, quippe quam plerumque affectam repererit, cujusque parte relicta variis irritationibus ansa praebetur, quibus ulcera parva, fistulaeque, quae fluidum secernant pseudosynoviale, efficiantur.

Henricus Smith¹³⁾ tres casus, in quibus operationem a Fergusson factam viderit, paucis enarrat, qui, quantum ex ephemeridibus cognoscere licuit, tales fuere:

Casus 1 ad puellam spectat annorum 28, affectione genus, jam 11 annos continuata, admodum debilitatam. Anno 1853 die Aprilis 2 excisione suscepta, Fergusson cartilaginem glenoidalem femoris totam evanuisse tibiaeque capitulum maxime destructum invenit. Operationem haemorrhagia, quamquam non ita magna, ac febris exceptit vehementissima, quae tamen, diebus 3 transactis, mitescebat. Aegrotae vires ut sustentarentur, eam jure e carne taurina parato nutriri necesse erat. Attamen die undecimo valetudine universa in pejus mutata, quarto post quum vehemens ingruisset horripilatio, die 18 mors est insecuta, puris, ut ferunt, resorptione effecta. Horis 48 post mortem elapsis, Fergusson vulnus investigatum statu reperit prorsus dissoluto.

In *casu 2* vir annorum 24 constitutione debili praeditus, qui jam annos tres genu laborabat, articulationem obtulit valde tumidam, quam non sine doloribus leviter inflectere contigit. Cutis articulationem tegens non omnibus locis erat mutata. Fergusson postquam anno 1850 die Julii 20 articulationem excidit, die 23 horripilatio, tum diarrhoea frigusque exstiterunt, quo facto decimo post operationem die aegrotus fato est functus. Cadaveris sectio femoris tibiaeque extremitates necrosi acuta affectas monstravit, or-

13) Medical Times and Gazette; August. 1853. No. 8. pag. 213.

ganis tamen internis normalibus. Puts in cavo femoris inventum altitudinem 3" attigerat.

Ceterum, praeterquam quod utroque in casu aegrotantis vires adeo videntur fuisse collapsae, ut excisa articulatione vix exoptatus sperari posset successus, Henricus Smith illo tempore etiam aëris temperiem operationi parum opportunam fuisse refert.

In casu 3 puella annorum 20, corporis constitutione vigenti, robusta, habituque florenti, anni 1852 mense Aprili, quum jam menses 6 malo laborasset, auxilium artis implovavit. Die Octobris 30. Fergusson, totam genus articulationem cum patella excidendam ratus, operatione suscepta, ad articulationem aperiendam incisione usus est ad *H* litterae formam accedente. Finita operatione, quum extremitas fixa atque apparatus suspensorio Salteriano imposita esset, aegrotae conditio in melius est mutata. Die Septembris 7. abscessu in superiore tibiae fine evacuato, multum allatum est levaminis, qui idem abscessus postquam, pure accumulato, die Decembris 30. iterum est exinanitus, aegrota die Januarii 25 extremitatem attollere potuit, ankylosi orta. Die Februarii 3. extremitate erysipelate correpta, denique aegrota mense Aprili fulcris innixa coepit incedere.

Pars altera.

§ 1.

Finis, quem resectio sequatur, quamvis pulcherrimus sit, licetque tam multa de ejus eventu laetissimo exstent exempla, tamen vix possit intelligi, quo fiat, ut magna virorum doctorum multitudo excisionem articulationis genus acerrime impugnet. Etiam si enim ejus historia ad hunc usque diem plures proferat casus adversos quam secundos, tamen nonne ars argumentandi hanc nobis suggerat conclusionem, „ut eadem momenta, quae uno in casu prosperum praestent eventum, rerum conditione eadem manente, in altero etiam aequè exoptatum habitura esse successum dicamus.“ — Quae conclusio quum videatur facile concedi posse, exitus faustos, quamquam eorum numerus, quos historia offerat, non ita magnus est, tamen longe plures judico esse, quam

quos omnes soli attribuamus casui. Quae, quum ita sint, — B. Kraft¹⁴⁾ praeproperè videtur agere, qui infantem adhuc imbecillum, paucis ad vitam revocandi conatibus susceptis, his verbis morte cndemnet, ut „resectionem articulationis genus unam se existimare dicat potius evitandam, „quam exsequendam“. Quod dolendum est, hoc loco et clarissimi alioquin Velpeau¹⁵⁾ mentionem injiciamus, his verbis utentis: „Ce n'est assurément pas à cause des difficultés qu'elle présente, que la resection du genou doit être proscrite, mais parce qu'elle est infiniment plus douloureuse, plus longue et plus dangereuse, soit immédiatement, soit, secondairement, que l'amputation dans la continuité de la cuisse, et surtout parce que dans les cas les plus heureux, le membre conservé est réellement moins utile au malade qu' une jambe artificielle; etc.“

Huc etiam referendus Aug. Vidal¹⁶⁾, qui quidem de resectione articulationis genus tale facit judicium: „Après la resection complète du genou, il faut le dire, il ne reste à la jambe ni extenseur, ni flechisseur; non seulement on a supprimé une articulation, mais on a même placé l'organisme dans l'impossibilité d' en refaire une autre, quelque imparfaite, quelque insuffisante que vous la supposez; de plus, on a créé à la phlébite, à l'imbibition purulente, deux des plus grandes surfaces qu'on puisse créer par une opération chirurgicale“. His talia adjicit verba: „Maintenant, pour juger la resection du genou, je mets le lecteur en présence non pas du fait le plus malheureux (je ne veux attrister personne), mais du plus brillant de tous, de celui de Park. Qu'on relise encore une fois cette observation; si l'on ne dit pas tout à fait comme le traducteur du chirurgien de Liverpool: cet exemple, qui annonce dans la chirurgie *plus que de courage*, ne sera probablement jamais suivi“. —

Qua in re tamen non obliviscendum, Francogallos, superbia quadam ductos, non solere inventa, quorum ipsi non

14) B. Kraft, über Resectionen der Knochen. Würzburg 1843. pag. 18—19.

15) Velpeau, Médecine opératoire. T. II. 1839. pag. 744. § II.

16) Aug. Vidal, Traité de Pathologie externe et de médecine opératoire. Paris, 1851. T. 5. pag. 576—77.

fuerint auctores, amplexari atque recipere. Etsi multa, quae tum Velpeau tum Vidal de resectionibus articulationis iudicant, a veritate non abhorreant, tamen, ex quo primum Velpeau illam operationem rejecit atque aspernatus est, minimum quatuordecim elapsi sunt anni. Quo temporis spatio quum viri eruditi rationes circumspererint, quibus casus accessorios operationi adversos tollerent, nonne hodie ex eadem Francogallorum gente celeberrimum videmus Malgaigne, apparatus suo, cochleis instructo, publici juris facto, de resectionibus articulationis genus tantum meritum esse gloriae? — Adeo Guilielmus Fergusson¹⁷⁾ primum, quum, articulatione genus excisa, nulla ankylosis secuta esset, sed quaedam mobilitas ossium remansisset, qua aegroto, fulcris inniti coacto, extremitas servata non nisi incommodaret, a resectionibus in articulatione genus suscipiendis deterritus, amputationem femoris illis longe praefendam esse censuit, totam quaestionem tamen sub iudice relictam longiore usu transigendam esse ratus. Quem auctorem incorrupto usum esse iudicio, vel inde apparet, quod tempore posteriore, annis 1852—53, hanc operationem ter est executus.

§ 2.

Quaeritur jam, quid sit, quod, hac operatione peracta, altero in casu mortem, quid in altero prosperum attulerit successum?

Ad quas quaestiones si quis respondere voluerit, ei adjumento erunt quum aptae morborum historiae, tum experimenta ulterius persequenda. Equidem, hac causa adductus, mihi videbar operae pretium facturus, si nonnullas ex optimis morborum historiis, quas adire licebat, in hoc opusculo enarraverim, rerum conditiones quales fuerint, causasque, e quibus in nonnullis casuum allatorum adversus pependit eventus, examinaturus. Etiam si, quod magnopere doleo, numerus historiarum morborum, quae in promptu erant, justo est minor, quam ex quo certa repetatur conclusio, attamen vel eum sufficere arbitror, ut saltem in ple-

risque casuum memoratorum exitum infaustum haud dubii non ipsi operationi vitio vertamus, sed potius rebus externis, partim ante operationem partim post eam valentibus, culpam tribuamus.

Morbi historia prima aegrotum docet jam ante operationem admodum fuisse debilem atque cachecticum, jam tribus annis ante (incertum est, quibus de causis) duplici columnae vertebralis curvatura affectum. Spondylarthrocace, quum extremitas sana perfecta movendi facultate uteretur, statui non potuit. Aegrotus etiam tumoribus marginem maxillae dorsumque obtinentibus laboraverat, qui quamquam cicatricibus erant obducti, tamen paulo post cachexia genu occupasse videbatur. Nam luculenter apparebat, causam aliquam corpus omnino destruentem subesse. Quae cachexia, vix contigisset, ut ante operationem, medicaminibus internis in usum vocatis, tolleretur. Neque hoc casu, id quod lector benevolus haud dubie confitebitur, femoris amputatio plus, quam articulationis genus resectio, attulisset auxilii. — De cruris contractionibus spasmodicis mentionem facere supersedeam.

In *historia morbi 2*, etsi aegrotus adhuc adolescens ante genus laesionem optima contendebat se usum esse valetudine, tamen respiciendum videtur, eum specie fuisse leucophlegmatica, magnamque jam suppurationem in articulatione exstitisse. Nec omittendum, partes molles, circa articulationem circumjectas, plane degenerasse, ac denique, id quod ex statu praesenti elucet, febrim hecticam jam vitae periculum esse minatam. Qua rerum conditione, dubium est, num femoris amputatio aegroti vitam servatura fuerit, quippe in qua et ipsa multum succorum esset consumptum. Praeterea, quum ipse aegrotus operationem suscipi obstinatus postularet, medici erat, secundo, licet auxilium non afferret, animum aegrotantis, saltem breve in tempus, tranquillare.

Historia morbi 4 talis est, ut nihil certi ponere liceat. Malum enim jam plures per annos duraverat, magnaque suppuratio, febris atque insomnia comitata, jam ingruerat, quo denique, addendum, quod etiam femoris amputatio, quamvis res minus fuerint adversae, satis saepe tamen pyaemiam provocat.

In *historia morbi quinta* aegrotum variis malis, velut struma herniaque et affectione pectoris laboravisse, ipse

17) William Fergusson, Handbuch der practischen Chirurgie; deutsch bearbeitet v. Frankenberg; Leipzig 1845. Vol. I. pag. 510.

fatetur narrator; quae mala quam diu ante operationem jam perduraverint etsi non traditum est, tamen vel conjectura licet assequi, aegrotum tantam violentiam, quanta est femoris amputatio, pariter non perlaturum fuisse.

Historia morbi sexta, viribus tantopere jam collapsis, femoris amputationem nullius esse utilitatis, argumento sit.

In historia morbi septima, in qua causa mali laesione traumatica effecta dicitur, articulationis ossa jam carie corrupta fuisse cognoscimus. Verum in reseccando non omnia affecta fuerant ablata; nam facies tibiae glenoidalis erat cariata, dum femoris facies serrando facta granulationes offerebat benignas. Itaque, his rerum conditionibus praesentibus, suppurationis causa etiam post factam resectionem remanserat.

In historia morbi nona, quae conditiones resectionis prosperas ostendit, aegrotus primis diebus bene valuisse dicitur, suppuratione haud maligna subsecuta, nec non granulationibus ad faciem femoris serrando factam optimis. Quo casu si medico apparatu cochleis instructo a clo. Malgaigne invento uti licuisset, quo ingratas cruris contractiones praecavare posset, et nisi, quemadmodum ipse prodidit auctor, eo, quo resectio facta est, tempore miasma nosocomiale, levissimis adeo operationibus adversum, adfuisset, dubitare non possumus, quin resectio exoptato futura fuerit successu.

Resectionum articulationis genus conspectus solis numeris expressus quanti incommodi possit esse ratione habita exitus operationis aut adversi aut secundi, quantumque fini pulcherrimo, quem resectio propositum habeat, nocere queat, vel ex paucis, quos memoravimus, casibus plane cognoscitur. Resectio, quo hodie posita est statu, etsi nondum ad summum evecta sit fastigium, tamen aliquanto propius jam ad eam, quae nobis veram accendat lucem, nos pervenisse rationem, non est, quod negemus.

§ 3.

Hoc loco nobis liceat commoda memorare, quae resectio, si quidem solum pathologicum articulationis affectae processum consideraveris, afferre possit. Quem in finem

meum esse judico, professoris Roser¹⁸⁾ sententiam proferre. Qui vir doctus quaestionem movet, num forte resectiones articulationum eo maxime prosint, quod ex facie magna atque flexuosa, suppuratione occupata, puris effluviu magis minusve impediendo, vulnus efficiant patens atque simplex, quo puris profusio facilius reddatur. Tum animus ejus eo inclinatur, ut articulationum resectionem non solum ossibus affectis, et in suppuratione articulationum cariata, verum omnino in suppuratione membranae synovialis maligna ac perniciose optimum dicat remedium esse, quod placitum prae ceteris ad articulationem genus, ut quae et maxima sit et flexuosissima, referendum esse judicat. Idem, articulatione genus resecta, simplex vulnus transversum obtineri ait, in quo faciebus ossium cum faciebus articulationis talis intercedat ratio, ut 6—8" ad 16—18. Itaque faciem pus emittentem resectione amplius dimidio minui censet, unde sibi videtur colligere posse, periculum quoque eadem proportione deminui; etc.

Ut mea fert opinio, professor Roser hac notione egregia articulationis genus resectioni lucem attulit praeclaram. Idem quae de ossium coaptatione necessaria disserit, ea infra explicare nobis liceat.

Ossium in ipsa continuitate fracturae, in quibus et periosteum et partes molles dirupta cernantur, satis frequenter sunt obviae. Priore quidem aetate, ejusmodi casus si incidisset, extemplo membrum amputare non multum dubitabant. At doctrina nostra sat magnam casuum multitudinem, in quibus amputatio evitari possit, in promptu habet. Quin etiam resectiones in longiorum ossium continuitate factae satis crebro prosperrimo utuntur successu. Jam, si totalem articulationis genus resectionem contemplati erimus, haec nonne optime fracturae ossium longiorum, in qua non solum periosteum, sed etiam partes molles diruptae sint, comparari possit? — Me iudice, utriusque discrepantia non ita magna est, eo tantum innixa, quod in resectione, ut exemplo utamur, in femoris continuitate suscepta facies ossium inter se propinquatae et suppurantes, diminutione substantiae osseae pari, in femore sacco muscoloso cinguntur, dum in reseccanda articulatione genus sacco circumdantur syno-

18) Archiv für physiolog. Heilkunde v. K. Vierordt. Curs. ann. 12. fasc. 2. 1. Maj. pag. 228.

viali. At dixerit fortasse quispiam, hanc ipsam membranam magnam offerre difficultatem, et, resectione in femoris continuitate facta, periosteum, cujus tantum momentum sit, posse integrum relinqui. Verumtamen adducor, ut contra dicam, ad facies ossium celerius coaptandas, quamquam Th. B. Thebing¹⁹⁾ hanc sententiam proferat: „Periosteum „ad cystoblastematis exsudationem minus conferre videtur, „quam ossis superficies vulneraria“, tamen re vera, ut periosteum parcatur, summae esse gravitatis, praetereaque hunc in finem illud tantum necessarium, vel saltem magni momenti esse, ut periosteum usque ad faciem serrando formandam pertineat. Etenim nonnihil superficiei vulnerariae ossis pariterque plurimis in casibus et supervacanea periosteum pars detrudi solet. Itaque, ut excisio artic. genus quam simillima fiat resectioni in femoris continuitate faciendae, *semper*, ut opinor, *ossium articulationem formantium tantum est auferendum, donec ad periosteum perveniatur*. Periosteum autem initium habet, quo loco capsula synovialis desinit, i. e. in femore aliquot lineis supra ejus condylos, in tibia aliquot lineis infra faciem glenoidalem.

Equidem mensionibus mihi persuasi, substantiae diminutionem tali ratione factam in homine adulto summum 4" P. esse. Quam fortasse existimaveris nimiam fore, si extremitatis usum non impediri velis. Adeo Fr. Ried (pag. 423) in ea est opinione, ut substantiae diminutionem 3—3½" excedere vetet, quod si evenerit, ossa ankylosi consolidari non posse arbitratur. Quod quo jure affirmet, intelligi nequit, potiusque, ut mea est sententia supra jam prolata, illa ratione plus profici, quam noceri pro certo habeo. Denique lectorem ad casum ab Jones observatum, quem in historia morbi decima enarravimus, relegatum volo, quem casum si cognoverit, substantia 4" resecta, operationis eventum posse exoptatum esse, sibi persuadebit.

§ 4.

Porro fortasse non incommodo fuerit, quovis in casu capsulam synovialem, etiamsi affectionis particeps non sit,

19) Th. B. Thebing: de genu exarticulatione cum condylorum femoris resectione conjungenda. Berolini 1850, pag. 19.

quantum fieri potuerit, exfoliari, ut potius saccus obtineatur maxima ex parte non nisi cutem continens, quam cui praeterea et membrana synovialis insit. Namque difficultas, quae obstat, ne recisio articulationis genus secundo utatur exitu, omnium maxime in eo videtur posita, quod haec articulatio tanta excellit fasciarum tum tendinosarum tum aliarum multitudine, quae, quum praesertim perraro sine exfoliationis processu suppuratione stipato sese conjungant, tanto citius suppurationi ansam praebere possunt.

Non solum in resectionibus artic. genus totalibus, verum etiam in fracturis comminutivis granulationes primum ab superiore ossis fine, enervatione sublata, initium capere, experientia edocti novimus. Postquam autem granulationes ossis superioris, usque ad faciem ossis subjectam progressae, cum ea primis calli formandi initiis coaluerunt, tum demum gratissimum unguium e. g. pedis procrenentium phaenomenon incipi, facile tibi possis persuadere, si statim ab initio lapide infernali ab imae halli phalangis cute usque ad ejus unguem lineam verticalem duxeris. Quo fit, ut saepe in narrationibus de aperta post mortem genus artic., femoris faciem serratura factam jam optimas praebuisse granulationes legamus, superficie tibiae vulneraria nullas dum offerente. Unde simul facile apparet, semper artic. genus resectionem, praesertim partialem, ut sanatio fiat, plus quam simplicem femoris amputationem, temporis ideoque vires aegroti minus delibatas exoptulare.

§ 5.

Periosteum ad callum formandum quanti sit momenti, quum satis inter omnes convenire videatur, superfluum esse censeo, libros huc pertinentes, qualis est cli. Kajetani Textor commentatio, ita inscripta: „Über Wiedererzeugung der Knochen“, Herbipoli anno 1843 edita, afferre. Quo scripto modo memorato Textor pg. 9 verba celeberrimi Bruennighausen profert, quaerentis, „utrum casu fiat, an aliqua nitatur causa, quod in nullo eorum casuum, in quibus, antequam os serra praecideretur, periosteum sursum reclinatum esset, ossium prominentia est secuta?“ Cui quaestioni haec subjicit Textor, ut se confiteatur non habere, quod respondeat, sed rem extra omnem dubitationis alcam esse positam, in illoque Francogallo adolescente, in

quo tanta exstiterit prominentia, chirurgum quendam, suis ipsius auspiciis amputatione facta, periosteum secundum consuetudinem a praeceptoribus illi traditam deorsum abrasisse“.

Quam rem ut in dubitationem vocemus, etsi nos longissime absumus, licetque periosteum integrum servari, pariter atque in amputationibus plerumque contingat, in articulationibus quoque resecandis fuerit exoptatissimum, tamen, quod quidem ad prominens postea os attinet, periostei integritas in amputationibus aliquanto majoris, quam in resectionibus, momenti esse videatur. Etenim, ut in amputationibus os serra curtatum nullo amplius adminiculo nititur, ita in resectionibus, praesertim articulationis genus, apparatus perfectioribus; inter quos maxime aptissimus ille a Malgaigne excogitatus adferatur, plerumque, ut alterius ossis truncus alteri adfigatur, ideoque unum os alteri innitatur, succedit. Supra jam monuimus, in resectionibus articulationis genus, praesertim in excisionibus, os semper eo usque praecedendum esse, quoad periosteum obvium habeas. Itaque, ossium truncos apparatusu Malgaigniano si fixeris, saltem periosteum periosteum conterminum sit necesse est; qua re vel sola, quantum equidem credam, non parum proficitur. Qua ratione sola, me iudice, prosperrimi operationum eventus, quos professor Roser²⁰⁾ sibi contigisse affirmat, explicari possunt. Ceterum omnes reliquas quoque cautelas, quae ad sanationem efficiendam valeant, antea probe respiciendas atque observandas esse, non est, quod admoncamus.

§ 6.

Denique hoc loco quaestio offertur, utrum, si alterum tantum ossium articulationem constituentium malo affectum sit, hujus unius partes non integrae sint resecandae, an tali in casu semper articulationis resectio totalis (excisio) suscipiatur necesse sit?

Siquidem concedamus oportet, in universum, amputatione facta, ad sanandum brevioris opus esse tempore, quam articulatione resecta, id quod, quum praesertim aegrotorum

vires plerisque in casibus jam admodum exhaustae sint, maximi est momenti, dubitare non possumus, quin eodem jure „*resectionem articulationis totalem partiali semper praeferendam esse*“, contendere liceat.

Quaestio proposita ut rite explicetur, dissertationem a Th. Thebing²¹⁾ conscriptam, cujus jam supra mentionem fecimus, adferendam esse iudico, in qua quidem haec verba leguntur: „Multa experimenta, quae ad explorandum sanationis tempus in catulis institui, sanationem facta resectione longe celerius, quam sola exarticulatione adhibita, intrare docuerunt. Duobus in casibus sanatio sine suppuratione contigit et praeter propter constituere licuit, solam exarticulationem duplum temporis ad sanationem requirere. Theoria etiam, rem ita se habere, nobis persuadet; quantum enim temporis opus est, donec, simplici exarticulatione facta, cavum glenoidale eum mutationis gradum subierit, ut major vasorum numerus evolvi et plasticae exsudationis momenta suppeditari possint? Adjuncta autem resectione, mox inde ab osse uberrimae emergunt granulationes et sanationis processus ab exordio cita capi incrementa.“

Feles quamvis homines non esse fateamur, tamen eo, quo diximus, respectu comparatio possit institui. Qua in re etsi libenter largimur, animalia, si cum homine contuleris, majore praedita esse reproducendi facultate, tamen, granulationes ad callum formandum necessarias in osse facie glenoidali privato multo celerius, quam in articulationis facie, cartilagine obducta, nasci experientia satis edocuit. Etenim cartilagine, utpote quae vasis sanguiferis careat, difficillime inflammari, quum inflammatio ad exsudatum plasticum atque granulationes inde orientes producenda omnino sit necessaria, inter omnes satis constat. Quodsi experientia est cognitum, articulatione tota resecta, superiores ossium fines semper multo citius, quam inferiores, granulationes offerre, temporeque interjecto, per quod suppuratio continuo duret, aegroti vitam saepenumero in periculo versari, quanto quaeso plus opus est temporis, eoque quanto majus aegroti, periculum inde orietur, si demum sensim ac paulatim e. g. faciem tibiae glenoidalem ad formandas gra-

20) Archiv für physiologische Heilkunde von K. Vierordt, Curs. ann. 12. Maj., pag. 228.

21) o. c. pag. 24.

nulationes mutari volueris? Praeterea altera quoque, eaque non minoris momenti causa sententiae nostrae patrociniū videtur suscipere. Ossium enim coaptatio, post operationem tam necessaria, eaque fixa positione tenendi conatus, si unum artic. os reseueris, quoniam facies inter se contiguae tam inaequales sunt, longe redduntur difficiliora et impeditiora.

§ 7.

In omnibus, quae de resectionibus sunt, scriptis, imprimis in capite, quō de artic. genus agitur, et de unius ossium artic. constituentium et de utriusque resectione tradi videmus, indicationibus quoque, quibus aut haec aut illa jubeatur operatio, positis. Nusquam tamen unius ossis resectionem utriusque praecidendi methodo postponi, nedum hanc posteriorem operationem ob eas, quas modo memoravimus, causas priori praeferrī invenimus. Quod quum ita sit, equidem unius ossis resectioni me professus sum adversarium, qua in re, quum literarum universitate modo relicta, experientiam mihi sumere nequeam, saltem a theoria auxilio petito, quid tempus sit facturum iudicii, quoniam ejus solius est, litem dirimere, erecta expectatione me opperiri, aperte profiteor.

Quidquid, hujus quaestionis habita ratione, inveni, professoris Ried²²⁾ verbis continetur, in opere suo, quod de ossium resectionibus conscripsit, de parte epiphyseos tibiae auferenda talem proferentis sententiam, ut ejusmodi operationes, quod, majore articulationis cavi dimidio relicto, semper vehementem inflammationem atque suppurationem cum exitibus sat cognitis oriri necesse sit, quodque, etiamsi aegrotus in vivis manserit, ossium conjunctio, quum facies inter se contiguae inaequales sint, non satis firma futura sit, sibi prorsus incommodas videri, affirmet. Ex quibus viri docti verbis tamen eum tantum in epiphysi ex parte destructa, ut non modo partes affectae, sed tota epiphysis tollatur, praecipere elucet, eundem tamen, in casibus istis semper totalem artic. resectionem, condylis etiam femoris praecisis, instituendam esse, quae mea est sententia, non contententem.

22) Fr. Ried, über Resektionen der Knochen. Nürnberg, 1847, pag. 412.

Operationum ejus modi, quibus una resecta fuerit epiphysis, equidem non potui nisi haec invenire exempla:

Ried clm. Travers ob laesionem traumaticam femoris condylos ex parte reseculisse affert, quo facto sanationem per ankylosin exstitisse ait. Ibidem Ried operationem ab Janson factam commemorat, qui propter laesionem traumaticam 2^a epiphyseos femoris abstulerit, aegroto tamen 30 post operationem diebus mortuo.

De partiali condylorum tibiae resectione Velpeau (Med. op. T. II. pag. 744) casum operationis a Champion institutae referens haec dicit: „Pour une carie du condyle interne du tibia, M. Champion ayant taillé, un lambeau carré, enleva, au moyen de la gouge et du ciseau, toute la partie malade à près d'un pouce de profondeur, ainsi qu'une balle qui y était enchassée.“ — Exitus qualis fuerit, non additur.

Textor (vid. Ried pag. 412) ob laesionem traumaticam viro 30 annorum particulam faciei glenoidalis tibiae triangularem reseculit, qua operatione peracta quum inflammatio vehementior ac pus accumulatum amputationem postulasset, aegroti vitam servare contigit.

Textor filius (vid. Ried ibid.), ob necrosin faciei tibiae glenoidali resecta, qualem obtinuerit eventum, latet.

Kreitmair in dissertationis de resectione pag. 31 (confer historiam morbi a me allatam quintam) cl. Textor propter cariem superiorem tibiae partem unius pollicis cum respondente fibulae parte praecidisse narrat. Mors septimo post operationem die insecta.

Sententiae a me prolatae adversarii nescio an adducantur, ut mea ipsius me impugnent argumentatione, qui jam dissertationis initio, articulationis genus resectionem defensorus, quum in uno casu (Travers) partialis artic. genus resectio feliciter successerit, eandem, rerum conditione simili, pariter prosperam futuram esse concesserim. Quibus equidem responderim, non esse operationem, quae artic. genus resectionem adaequet, dum, de partis epiphyseos resectione ut taceam, partiali etiam quam anteponamus, non deest.

§ 8.

Casus, quibus, utraque artic. genus epiphysi resecta, successus fuerit exoptatus, mihi tales ut reperirem contigit:

1. Casum ab Jones observatum (cf. Schmidt's Jahrbücher d. Med. 1853, No. 7. pag. 71), quem in morborum historiis supra prolatis sub No. 10 jam enarravi, lectorem, ut ibi cognoscat, oro.

2. Casum alterum ab eodem observatum (vid. Medical Times and Gazette, Jule 1853 No. 157. pag. 11.), in morborum hist. tertium decimum attuli.

3. Hunc casum in morb. hist. tertium proposui. (Vid. Kraft, Ueber Resection der Knochen. 1843. p. 38.)

4. Vid. hist. morb. octavam (Gazette med. de Paris, 1846. p. 859.). Qui casus, quamquam, quo tempore aegrotans nosocomio dimissa fuit, nulla dum ankylosi ossa coaluerant, incessu tamen, ut in ephemeridibus traditur, non impedito, in prosperorum numerum potest referri.

5. Vid. Fr. Ried, Ueber Resect. der Knochen. 1847. p. 444.) Quam operationem, anno 1830 propter cariem a Jaeger peractam, qui cognoscere tanti aestimaverit, is, etsi artic. genus excisioni non faveat, tamen facile, ut mitius ferat judicium, commoveatur. Etsi Velpeau T. II. p. 745 exiguam calli ad partem externam in regione genus incurvationem irridens, cutis illo loco ulcerationem praedicit, aegrotans, si femoris amputationem instituerit, pergratum se facturum ratus, tamen, testante Ried, usque ad viri mortem, 14 demum post annos secutam, nulla exstiterat ulceratio.

Adnotatio. Ried hoc praeparatum finesque ossium articulationis resectos charta (Papiermaché) bene ac vere expressa in fabrica Voitiana et Fleischmanniana Norimbergae inveniri dicit.

E conspectu chronologico, a M. Jaeger concinnato, hos casus desumsi:

6. Park. 1781. 7. Crampton, Op. II. 8. M. Jaeger, Op. I. 1830. Porro in excerptis e Montly Journ. June 1853 (cf. Schmidt's Jahrbücher d. Med. No. 9. 1853, p. 328) Mackenzie primo anno 1850 Fergusson artic. genus excisionem rursus exsecutum, esse, eamque annis proximis tribus ter decies susceptam prodit. Nam Fergusson ter, Jones sexies, Page semel, Stewart semel, Mackenzie bis instituerunt. Aegrotorum, in quibus operatio facta erat, tres sunt mortui, quorum 2 sequelis operationis (in duobus casibus Fergussonianis), nempe necrosi acuta et pyaemia, unus casu fortuito, videlicet dysen-

teria, aegrotum jam convalescentem afficiente, extincti sunt. Quinque aegrotorum paulatim extremitate tam bene uti consueverunt, ut meliora sperari non possent; uno in casu extremitatis nullus usus erat. In altero, qualis rei eventus fuerit, non memoratur, in tribus denique, quum brevius elapsum esset post operationem tempus, nullum certius facere licebat judicium, rerum conditione tamen optima quaeque sperari jubente. Operationes plerumque in hominibus junioribus factae, quorum 3 pueruli annorum 7, 9, 11, quinque viri, et quatuor feminae annorum 20—30 erant, uno autem, in quo Mackenzie operationem suscepit, annos 42 nato.

Conspectus chronologicus resectionum in articulatione genus.

No.	Annus	Qui secuit.	Resectio.	Sanatus.	Mors.	Morbi genus.	Anotated.
1.	1781	H. Park	Condyl. fem. 2" et tib. 1"	sanatus		Tumor alb. sine fist., caries	Membrum praesitit usum completum.
2.	Park	Tumor alb.	Conjunctio oss. incompl.
3.	1792	Moreau sen.	Condyl. fem., capitis tibiae 10", capit. fib. et patella	p. mens. IV.	Caries cum fistulis	Dysenteria epidem. con-secuta.
4.	Filkin
5.	1809	Mulder, Grön.	Condyl. fem. 2", tibiae $\frac{1}{2}$ " et patel.	p. m. IV.	Tumor alb. sine fistulis	Suppuratio; nulla conjunctio ossium per callum.
6.	1811	Moreau jun.	Condyl. fem. 4". Caput tibiae et fibulae et patella	Usus membri incompl.
7.	1816	Roux	p. dies XIX.	Tumor alb.	Suppuratio.

No.	Annus	Qui secuit.	Resectio.	Sanatus.	Mors.	Morbi genus.	Anotated.
8.	1816	Travers	Condyl. ext.
9.	1823	Crampton	Condyl. fem. $\frac{1}{4}$ " et tibiae $\frac{1}{4}$ "	a. III. post.	Nulla conjunctio ossium.
10.	Crampton	Op. II.	idem	Usus membri complet.
11.	1829	Syme	Condyl. fem. et caput tib. et pat.
12.	Syme	Condyl. fem. et tibiae	mors
13.	1830	M. Jaeger	Condyl. fem. 1" $\frac{1}{4}$ " et tibiae $\frac{1}{2}$ " et patella. et sanatus	Gonarthrocace sine fist.; caries.	Conjunctio ossium per callum facta et usus membri perfectus.
14.	1832	Textor	Condyl. fem. $\frac{3}{4}$ " et tibiae 1" et capit. fibulae	mors	Tumor alb. cum fistul.	Phthisis tuberculosa.
15.	1837	Textor	Capit. tibiae 1" et pars capit. fibul.	mors	Caries	Pyæmia secuta.
16.	1839	Textor	Condyl. fem., tibiae et patella.	mors	Gonarthrocace	Dysenteria secuta — Amputatio fem. facta — mortuus 19 diebus post.

No.	Annus	Qui secuit.	Resecta.	Sanatus.	Mors.	Morbi genus.	Adnotatio.
17.	1840	Textor	Cartilago glenoidal. tibiae 2" lat et 3" alta.	sanatus			Amputat. fem. post 15 dies facta; aegrotus sanatus, sed caries tibiae inventa.
18.	1842	Textor	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ ", tib. 1 $\frac{1}{2}$ " et patella.	sanatus		Ankylosis	Conjunctio ossium per callum.
19.	1843	Textor	4" artic. genu			Ankylosis	Conjunctio oss. incomplet.
20.	1849	G. Adelmann	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ ", tib. 8" et patella.		mors	Gonarthroace	Spondylarthroace.
21.	1850	Fable	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ " et cartilag. semil. tibiae.		mors	Causa traumat.	Dysenteria nosocomial.
22.	1850	Fergusson	Excisio genu.		mors		Necrosis acuta.
23.	1852	idem	idem	sanatus			Ankylosis.
24.	1853	idem	idem		mors	Caries	Pyæmia.
25.	1853	G. Adelmann	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ " et cartilago glenoid. tibiae.		mors	Caries c. fistul.	Febris hectica et hydraemia.

No.	Annus	Qui secuit.	Resecta.	Sanatus.	Mors.	Morbi genus.	Adnotatio.
26	1853	Mackenzie	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ ", tibiae 3" $\frac{3}{4}$	sanatus			
27	1853	Mackenzie	Condyl. fem. 1 $\frac{1}{2}$ ", tib. 3" $\frac{3}{4}$, patella.	sanatus			Ankylosis.
28	1853	Jones	4" subst. oss.	sanatus			Ankylosis.
26	1850-53	Page	Op.				
30	1850-53	Stewart	Op.				

Theses.

1. Omnibus in casibus, quibus genus articulatio resecanda est, resectio totalis (excisio) suscipienda.
 2. Marginis ciliaris in entropio praecidendi ratio omnino est aspernanda.
 3. Nullum exstat contra carcinoma remedium.
 4. In operationibus obstetriciis positio feminae „à la vache“ dicta haud dubie est rejicienda, in sola forsitan arte veterinaria probata.
 5. In erysipelate vero ammoniacum muriaticum, magnis praebitum dosibus, medicamen est optimum.
 6. Aqua frigida desuper corpori infusa in laryngitide membranacea infantium digna est, quae crebrius adhibeatur.
 7. Non semper medici est aegrotum de morbi natura certiores facere.
 8. Cuivis, ut herbae Nicotianae fumum bibat, suadendum.
-